Dobrasdunski Stanisl.: Quaestio theologica de primo protoplasti peccato.

QVÆSTIO THEOLOGICA,

De primo Protoplasti peccato.

Ex Prima Secundæ D. Thomæ Aquinatis desumpta.

Præsidente Magnifico & Admodum Reuerendo Dño,

IACOBO VSTIENSE

S. Th. & I. V. Doctore ac Professore, eiusdem Augustæ Facultatis, Decano Custode S. Floriani &c. Studij Cracouiensis Generali

RECTORE,

Et obseruandissimo Præceptore.

Ab

Admodum Rendo. Dño. STANISLAO DOBRASDVNSKI, S. Th: pro tunc Licenciato Diœcesis Vladislauiensis, Tuczynensi Curato, immediate post obtenta insignia S. Th: Doctoratus publicè ad disputandum in Alma Academia Cracouien: Regni Poloniæ Generali Schola, pro Colophone suæ promotionis proposita.

Lectorio DD. Theolog. Mense Ianuario Die 22 Hora 16

Anno Domini 1643.



CRACOVIÆ,
EX OFFICINA FRANCISCI CÆSARII.

In Stemma Illustrissimum RAWICZ.



Pegmata Gniewosſij cernis celebranda Trophæi
Olim virgineæ quæ poſuêre manus
Augurium felix ? Præſul færa monſtra domabis,
Balthiacæ nobis quæ genuêre ſpecus
Parrhaſias Vrſas Præſul ſuperabis ouando
Et noua, Crede, Poli Parrhaſis Arctos eris.

Caſimirus de Kołudy Kołucki,
Suadæ Tullianæ Eloqu: Alumnus.

Illustrissimo & Reuerendissimo Domino,

D. NICOLAO ALBERTO GNIEWOSZ,

Dei Gratia, Episcopo Vladislauiensi, & Pomeraniæ.

Domino & Mæcenati suo.



PRimi Parentis vexata scelere origo hominum supplex Tuis sese pedibus aduoluit ILLVSTRISSIME DOMINE cuius de pluribus virtutibus, singularem clementiam & misericordiam, vni DEO vicariam, quâ par est submissione animi veneratur. An enim Christi potestate excellenti Tribunali, quod Tuum est, rea sisti erubesceret, quæ olim suo crimine liberari cupiens Diuino sanguine tinctam purpuram induit? Scio multis Illustrissimorum Antistitum virtutibus, per tale genus ornamenti, felicia omina comparata, Tibi Nomen faciet; Et vereor ne dum amplexu Tuo culpam hanc Sanctissimo Christi sanguine lotam fouere volueris Tuis humeris pio astu purpuram inijciat. Neq; in hoc errorem fateri deberet, quæ Tuam virtutem tam in oculis hominum, quàm in luce totius Cæli videt versari, vt quicquid agas, hoc esse Augustissimum ipsa Siderum testimonia comprobent. Quid enim timenda Vrsæ maiestas? quid blanda virginis effigies inter Tua Nomina furiunt? Equidem cum Cælesti Vrsa Septemtrionis imperium, cum virgine solis hospitium ad Maiores Tuos translatum est: vbi

quâ diuturnitate temporum pro Gentilicis Tuis meritis velint excubare, ipsis Cælis congenita perpetuitas vaticinium facit. Diuina equidem omnia tibi esse negare nemo potest in quem tantorum tamq; Cælo dissitorum Siderum concordia conuenit. Hinc est quod multas ætates, multaq; sæcula non magis annis quàm Illustrissimæ Familiæ Tuæ meritis extensa admiratione inuoluere cogimur: Nam hæc nec volui breui temporis compendio, nec orationis periodo inuolui possunt. Vnica tamen Vrsæ Tuæ vigilantia in cogitationem omnium se infert, vt quantum hæc pro Patria, pro templis & aris, seu negotijs fæliciter exhaustis laborârit, tantum aliquando præmij meritò sperare possit. Quod si ad æqualitatem cum sanguine Maiorum Tuorum gloriosissimo comparationem non habuerit, saltim æterna temporum reuolutione Tibi Tuisq; resplendeat: Digna profectò vigil Reipublicæ Vrsa Tua est, quæ Apum Sanctissimarum post tot labores totq; solicitudines mele recreetur. Digna vtraq; Sidera quæ semper alto loco insidentia, lucem abundantiorem alijs faciant Oriri sciuerunt, nunquam occidere, quid enim illis tenebras offundat, quæ lucem Patriæ lucem Religionis seu contra Lunas, seu contra Scytharum turbines, seu Sectariorum caliginem, sustinuerunt, conseruarunt, auxerunt. Atq; in tam ampla luce Tui Nominis paruum hoc Theologici studij specimen versari patere ILLVSTRISSIME DOMINE, *quod ne suo quoq; splendore coram Te careret à lucidissimis Academiæ radijs ad Te deriuatum descendit; Sic de benignitate Tuorum Siderum persuasus, vt si quid suæ luci defuerit hoc à Tui vultus Tuorumq; Siderum clarissima die clementissime illi porrigatur.*

QVÆ-

QVÆSTIO.

DE PRIMO PROTOPLASTI PECCATO.

VTrum Primum Adæ peccatum per ſeminalem propagationem traducatur in eius poſteros, & in cuiuſuis animæ eſſentia habitualiter receptum ex ſolis ſecundi Adam Chriſti Domini meritis remedium accipiat nec ne?

CONCLVSIO I.

PRimum Adæ peccatum in illius poſteritatem traduci eſt fidei dogma.

COROLLARIA.

1. *Peccatum Adæ primum quatenus recipitur in eius poſteris non egreditur fines voluntarij.*

2. *Posteri Adæ ex peccato illius in se transfuso vere denominantur peccatores.*
3. *Damnationis posterorum Adæ sufficiens est causa peccatum traductum.*
4. *Falluntur qui dicunt peccato Adæ in posteros traducto solam quandam importari miseriam.*
5. *Negare traductionem primi Adæ peccati in posteros est manifesta Hæresis.*

CONCLVSIO II.

NOn aliter quam per seminalem propagationem peccatum Adæ traducitur in eius posteros.

COROLLARIA.

1. *Peccatum Adæ in posteros transfusum præter priuationem Originalis Iustitiæ, importat habitudinem ad Adæ peccatum.*
2. *Jure merito peccatum hoc Originale peccatum naturæ dicitur.*
3. *Reiiciendi sunt qui arbitrantur paruulos ab Adam per seminalem propagationem descendentes per Extrinsecam denominationem dici peccatores.*

4. Si

4. *Si miraculose ex carne humana alicuius corpus formaretur talis non contraheret peccatum ex Adam.*

5. *Christi Domini N. humanitas nequaquam potuit esse, obnoxia Contractionis peccati primi Adami.*

CONCLVSIO III.

IMmediatum ſubiectum peccati Adæ habitualiter recepti in poſteris eſt animæ Eſſentia.

COROLLARIA.

1. *Peccatum Adæ primum importat habitum deficientem.*
2. *Peccatum Adæ traductum multiplicatur ad multiplicationem poſterorum.*
3. *Contractio peccati Originalis æqualiter ſe extendit ad vniuerſos Adæ poſteros via ſeminali deſcendentes.*
4. *Ex peccato Originali in Adæ poſteris animæ potentiæ media voluntate inficiuntur.*
5. *Peccatum in poſteros traductum in primo parente Adam fuit actuale.*

CON-

CONCLVSIO IV.

Ex solius Christi Domini meritis primum Adæ peccatum in posteros traductum habet remedium.

COROLLARIA.

1. *Post Adæ lapsum in quauis lege contra peccatum Originale non defuit remedium.*
2. *Ex nullius hominis puri meritis potuit Originale peccatum habere medicinam.*
3. *Christi merita erant etiam satisfactoria pro peccatis.*
4. *Meritum & satisfactio Christi fuit infiniti valoris.*
5. *Natura humana plus boni Diuinitus accepit ex Christi meritis, quam per peccatum Adæ amisit.*



Adæ
ium.

ecca-

gina-

pec-

i va-

pit ex
nisit.